

IV. Hæc quatuor, velut prima artis principia, necessariò præsupponuntur in futuro rhetore ecclesiastico, si non excellenter, saltem mediocriter; post in primis accedat necesse est systema seu methodus præceptorum, quibus ista perficiuntur: Quod quidem systema nunc porrò, ducente Dco, methodicè & succinè perseque-
mur.

V. Finis ergo (ut hinc avælutiūw̄g in-
cipiamus) systematis huius est vel internus;
vel externus & principalis.

VI. Externus est persuasio, quæ duo sub se continet: quorum primum est docere; secundum, animos seu affectus mouere.

Atq; hi duo sunt necessarii & essentiales fines propositi oratori Ecclesiastico, qui si alterum ex his negligit, nunquam suo officio rectè defungetur. Cuius rei locuples testis est D. August. lib. 4. De doctrina Christiana, c. 3. vbi ait: *Debet diuinarum scripturarū tractator, doctor & defensor fidei recte, debellator erroris, bona docere, mala dedocere, & opere sermonis conciliare aueros, erigere remissos, nescientibus quid agant, quid expectare debeant, intimare.* Et disertius cap. 17. *Qui dicēdō nititur persuadere quod bonum est, nihil horū trium spernat, ut scilicet doceat, flectat, delectet: ita enim*